









1733.

1. Klambart, Johann Gottlieb: De homicidio propter  
Defensionem bonorum commisso impuni.
2. Reinkenhus, Tobias Lee.: De fure parentale  
ejusre pœna.
3. Reinkenhus, Tobias Lee.: De restitutione in integrum  
restitutoris
4. Schrockius, Hier. Frider.: De basilicis casuque  
juratus.
5. Strecken, Com. Wilhelmus; Famil. juri Decem. l. b. 3.  
(ad Disputationem in univ. Parisi. Augusti Risthori  
invitat.).
6. Strecken, Com. Wilhelmus, Famil. juri Decem. l. b. 3.  
(ad Disputationem in univ. Parisi. Augusti Turini invitat.).
7. Strecken, Com. Wilhelmus, Fac. juri Decem. l. b. 3.  
(ad Disputationem in univ. Parisi. Caroli Schueton (Hed. Weisp.  
mentis invitat.).

8. Strecko, Conradus Wilhelmus : De injusta judiciis 1721.
9. Strecko, Conradus Wilhelmus : De inactione judicis  
in complicitatem inculpatae relictam.
10. Strecko, Conradus Wilhelmus : De fideiussore dotis  
servandae causa.
11. Strecko, Conradus Wilhelmus : De beneficio compelleri,  
sive notitibus non competentibus.
12. Strecko, Conradus W. H. : De laudo arbitrarium ejusdem  
juris affectibus.
13. Strecko, Con. W. H. : De Reser. Foribus.
14. Strecko, Con. W. H. : De differentiis inter processum  
ordinarium Saxonicum et illum sic dictum summum  
viam in judicio mercatorio Lipsiensi usitatum.

15. Stricker, Casim. Will: De jure civitatis Erfordensis  
singulari.
16. Stricker, Casim. Will: De potestate iudicis, poenas,  
in delicta statutas, mitigandi hujusmodi mitigationis  
veris causas.
- 17.<sup>a. t.</sup> Stricker, Casim. Will: De censura per libros  
censuales ~~prohibitione~~. 2 Exempl. 1733 & 1757.
18. Tengels, Ernestus, Facult. juris Nere... Decorum: l. b. s.  
(ad Disputationem in aq. Johanni Georgio Holsti innotat)
19. Tengels, Ernestus, Facult. juris Nere... Decorum: l. b. s.  
(ad Disputationem in aq. Johanni Henrico Kellneri innotat).
20. Tengels, Ernestus, Facult. juris Nere Decorum: l. b. s.  
(ad Disputationem in aq. Johanni Yollsti Flickis  
innotat).

21. Tengelius, Erhardus: De spirita rationis jactura  
creati: Anoris, uno pluribus vel sibi junctis form

22. Reinkorth, Tobias Tac.: De unitate carnis inter matrem  
et proximam.

23. Turin, Johannes Tynesius: De subtilitate



12 1733, 17a 18  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,

DE  
**CENSVS PER LIBROS**  
**CENSVALES PROBATIONE,**

QVAM  
IN PER-ANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI

RECTORE MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

*1733*  
DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, SACRI PALATHI CÆSAR. COMITE, IVRID. FACVLT. ASSESSORE,  
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. STNDICO  
ET CONSVLE,

EX DECRETO ET AVCTORITATE ILLVSTRIS  
JCTORVM ORDINIS,

SVB PRÆSIDIO

FACVLTATIS IVRIDICÆ DECANI

DN. CONRADI WILH. *Strecher* JCTI,

PRÆFATÆ FACVLTATIS ET IVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS AS-  
SESSORIS, PROFESSORIS PVBLICI, NEC NON CIVIT. SYNDICI  
ET CAVS. TVTELAR. CONSVLENTIS,

**PRO LICENTIA**

SVMOS IN VTROQVE IURE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA LEGITIME CONSEQVENDI,

DIE VIII. JUNII M DCC XXXIII.

IN AVDITORIO JCTORVM MAIORI

HORIS CONSUVETIS,

PVBLICÆ DISQVISIONI SVBMITTET

AVTOR

HEINR. BENJAMIN ZIEGLER, *Erford.*

REGIMINIS ELECTORAL. ADVOCATVS.

ERFORDIÆ, LITERIS HERINGIANIS, Acad. Typog.



LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF MANNING  
MANNING, MASSACHUSETTS  
1850

1850





Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
CENSUS PER LIBROS CEN-  
SVALES PROBATIONE.

§. I.

**M**Orem Disputantium observaturus, ante omnia de census derivatione agendum erit, descendit itaque vox census a censendo, von schätzen, sic censere territorium, pro imperare censum territorio, dicitur in l. i. C. in quib. caus. pign. vel hypoth. l. 4. C. de cens. ac passim in LL. varios fortitur significatus. Ita census descriptio & aestimatio juxta bonorum atque personarum facultates nach denen Häu- ptern und Güthern erat praecipue determinata, adeo, ut omnis civis non solum nomen fundi v. c. praedia, prata, vineas, sylvas & pascua, sed quoque, quos vicinos proximos habeat, profiteri deberet, juxta l. 4. pr. ff. de cens. Dionys. Halicarn. l. 4. c. 9. sic non raro cujuscunque universa substantia ac fortuna omnes census nomine appellantur OVID. lib. i. Fastor. v. 216.

A 2

In

In pretio pretium nunc est : dat census honores :

Census amicitias : pauper ubique jacet.

LIVIVS *lib. 4. historiar.* originem illorum prædiorum deducit a Servio Tullio ob utilitatem reipublicæ, ut belli munia non viritum, sicuti olim, sed pro possessione bonorum subditi obirent. Qui autem plura de illis censibus legere cupit, ille Scriptores antiquitatum Romanarum evolvere potest; instituti enim mei ratio hoc non exposcit, ut omnia illa jura atque denominationes censuum huc adponere debeam, siquidem mihi animus non est, de illis in genere, sed tantummodo de his, qui nostris in oris frequenter locum obtinent ac in foro nostro, tanquam trita vulgarisque materia, quotidie tractantur, quædam disserere, quare etiam hæc ansam mihi præbuit, secundum nostram praxin aliquid in cathedra proferre, quum longe a Romanorum jure census hodierni vel patriæ nostræ devient. Census enim præter onera realia hæc loci fundo impositi atque annuatim præstandi veniunt.

§. II.

Originem, quod attinet, horum censuum, in nostris oris illa valde dubia est; CHRISTIAN. FRIED. GRUNERVS *in sua Dissertatione de probatione atque reprobatione bonorum censiticorum sub præsid. Magnif. Dn. TENZEL. A. 1712. hic Erfordia habitata Cap. 1. §. 3. allegat glossam ad Sächsisch Lehn-Recht art. 60. seqq.* dieses Rechtens Anweisung hat seinen Ursprung von Römischen Rechten. Denn da die Römer alle Welt bezwungen hatten, mit Mannigfaltigkeit ihrer Gewalt, da besetzten sie der Feinde Festen, und saßen auch darauf Hauptmänner, die hießen sie Fürsten, und ist so viel genannt in den Latino, als Princeps, quasi primitias capiens, das ist so viel, daß Er nehmen mag über allerley Genieß und Zins der Acker oder Leute, die bezwungen waren, und davon hielten sie Mannschafft und Ritter. Wenn denn etwas darüber blieb, das gaben sie den Römern wieder. Als aber dazumahl Friede gemacht ward in denen Landen, da dachte es die Fürsten unbequemlich, und zu viel zu seyn, daß sie die Ritter und die Mannschafft stetiglich in hohen Kosten halten solten. Da wurden die Römer zu Nash, wie daß sie denen Fürsten liehen die Güter

Güter, und derselben Güter Mannschafft, und daß die Fürsten  
 sollten leihen fortan der Mannschafft, die Arbeit, den Nutz,  
 und den Zinsen der Güter, und daß sie darum solten dienen.  
 Welche Leihung hernach genant ist worden Lehen, darum daß  
 es ihnen geliehen ward, und nicht gegeben. Denn da sich die  
 Lande besaßen in Städten, und zu Frieden, und die Fürsten die Güter  
 von denen Römern also empfingen, da leihen die Fürsten auch de-  
 nen Rittern und der Mannschafft die Lehen fortan, auf daß sie sich  
 selber beköstigten. Darnach vermieteten die Ritter und die Mann-  
 schafft fortan den Gebauern umb genannten Bescheid, den wir  
 Zinse nennen. Hactenus Glossa, *conf.* FRANZK. *Tr. de laudem.*  
*cap. 10. n. 45.* quæ sententia etiam non rejicienda videtur, ex  
 ea ratione, quod multa feuda tam a Serenissima familia Saxo-  
 nica, quam Schwarzburgica Vasalli heic loci tenent, quæ in  
 censibus quibusdam certis de fundis exigendis consistunt.  
 Inter alios vero est RENNEMANNVS, qui in sua *Jurispr. Rom.*  
*Germ. Membr. 2. Disp. 58. th. 10.* probabilem illam opinionem  
 judicat, quæ a religionis exordio id juris in nostris regionibus  
 initium sumfisse, statuit, quando nempe ecclesiæ auditores  
 ad ostentandum suum in studio religionis zelum, & ad gratitu-  
 dinem erga Clericos declarandam, sua bona ipsis fecerint  
 censualia, cum ea, sub certa quadam recipiendi fiducia, illo-  
 rum dominio subjecerint, qui mox eadem restituerint his, re-  
 servato saltem sibi in recognitionem domini censu hujusmo-  
 di: Et hinc, ita pergit RENNEMANNVS *d. l. not. a.* argumen-  
 tari, procul dubio apud Nos originem suam traxere census  
 illi, qui vulgo liberi, Frey, Pfennige, vocantur. Quod deinde  
 seculares magistratus mire adversus subditos aucupati, priva-  
 ti vero plurimi imitati fuerunt, dum bona sua agricolis sub  
 nexu censuali in recognitionem veteris domini vendide-  
 rint; eousque sententia JCTi Erfürth. RENNEMANNI. Et ar-  
 gumentum quidem præstantissimum ille JCTus sumfisse vide-  
 tur ab aliarum gentium ac provinciarum moribus, ex quibus  
 ad census in nostra civitate, eorumque originem, argumen-  
 tari voluit. Majores enim nostros subinde in aliis provin-  
 ciis religionis amore ductos, non solum bona sua cumpnimis  
 eccle-

ecclesiis addixisse, reservata sibi possessione ad vitam pro certo aliquo censu; sed etiam ex suis bonis censum Ecclesie constituisse ad sustentationem Clericorum, docet LEISSER. in *Jure Georg. Lib. 1. cap. 18. n. 40.* Ita namque apud GOLDASTVM *Antiquitat. Alemann. Tom. II. Part. 1.* plures extant chartæ & formulæ donationum, ex quibus præ cæteris *charta 34. 41. 42. 49. 50.* notandæ veniunt, quippe quæ discretis verbis demonstrant, jam tum temporis apud Alemannos usu obtinuisse, quod bona sua ecclesiis aut monasteriis ea lege donarent, ut eorum possessionem, quoad viverent, sibi retinerent, & censum annum ex iis præstarent. Sic quoque in legibus Longobardorum *lib. III. tit. de beneficiis & terris tributariis,* reperitur lex, cujus initium est: *qui terram censualem habuerit, quam antecessores sui ad aliquam ecclesiam vel villam nostram dederint* &c. unde iterum apparet, apud Longobardos jam moris fuisse, ut haberent fundos censuales, quos ecclesie, vel etiam villa regia obtulerint. Episcopo autem Aldenburgenfi omnem terram Wagirorum sive Obotritorum annum quendam censum de quolibet aratro præstitisse, testis est HELMOLD. in *Chron. Sclavorum lib. 1. cap. 12. sub finem.* Eandem tamen censuum, saltem omnium & singulorum, in nostro territorio Erfurtenfi fuisse originem, vix cum Rennemanno asserere aulin, ea quidem ratione motus, quod GVDENVVS in *historia Erfurtenfi Lib. 1. cap. 10. p. 31.* ex documentis in Archivis, ad quæ provocat, tradat, urbis nostræ fundos fuisse olim Archiepiscopo Moguntino ministeriales, ipsosque cultores glebæ adscriptos. Sæculo autem XII. Adelbertum I. Archipræsulem Moguntinum, & fundis, & possessoribus eorum libertatem concessisse, *annuo tantum censu reservato.* Hunc vero censum magnam partem, Electorum liberalitate in ecclesias & milites, horumque pactis in plebem etiam pervenisse. Quod si ita est, origo censuum in nostris terris non tam a primordio religionis, quam ab Adelberto deducenda foret, quamvis in aliis regionibus, ut paulo ante ostensum, jam multo antiquiori tempore fuerint introducti, unde Adelbertus eosdem apud nos quoque instituenti occasio-

nem

nem procul dubio accepit. Interim ulteriori Lectoris benevoli disquisitioni ac iudicio has de ortu censuum, in aliis & nostris oris, sententias relinquo. Id saltem certum atque notissimum, moribus antiquissimis in Thuringia & nostra regione jus censiticum fuisse constitutum tantaque illud esse amplitudine, ut inter centum agros vix unus ab ejusmodi praestatione liber deprehendatur.

§. III.

Nunc census descriptionem aggredior, licet definitio omnis periculosa pronuncietur per *l. 202. ff. de R. J.* Est autem jus censuale, jus quoddam in bonis cujusdam immobilibus, alii cuidam ad certam rem mobilem exinde in recognitionem veteris domini quotannis solvendam, per mores constitutum juxta *RENNEM. l. c. §. 8.*

§. IV.

Dicitur (1) *ius quoddam*, quatenus nimirum hoc per aliquam conventionem & praescriptionem est acquisitum, & hinc tenenda illa regula: quocumque modo res aliqua in alterum a persona habili transferri, eodem modo census jus quoque constitui potest (2) *in bonis cujusdam immobilibus*: quia census regulariter perpetuus esse debet & tale subjectum requirit, quod durare & quasi perpetuo redditum praebere valet, quale non sunt res mobiles, haec enim usu consumuntur, per consequens census rei immobili inhaeret, quippeque ad quemcunque possessorem cum onere transit (3) dicitur, *alii cuidam*; sive sit publica sive privata persona (4) *ad certam rem mobilem exinde*: sive in pecunia sive in frumento vel alia quacunque specie ex conventionem praestanda (5) *in recognitionem veteris domini*: nempe quod talis res antea in dominio censitoris fuerit (6) *per mores constitutum*: uti antea in §. 2. ratione originis fuit demonstratum.

§. V.

Census communiter à DD. dispesci solet in *constitutivum atque reservativum*; prior dicitur quoque *consignativus seu impositivus*, quando quispiam rei suae, hucusque liberae, pensionem certam cuidam alii, conditionem hanc accipienti, annuatim

nuatim solvendam imponit, vel etiam alio quocunque contractu interveniente censum constituit, & ita multi census, Clericis debiti, videntur exorti, quando nimirum fideles, religionis christianæ zelo ardentibus, in doctores sibi præpositos bona sua in censum contulerunt atque constituerunt, quod postea etiam subditi quidam ex devotione erga magistratum suum, & denique privati erga privatos, uti in §. 2. demonstratum fuit, sunt imitati *conf. RENNEM. l. c. §. 15. lit. d. Hic à quibusdam iterum dispescitur in personalem, quando persona solius censuarii ad certam pensionem, absque omni respectu rei alicujus, est obligata FRANZK. Variar. Resolut. lib. 1. Resol. 1. n. 51. atque in realem respectu rei alicujus fructiferæ STRVV. J. feud. c. 2. §. 10. n. 4. ibique plures, sed de personali illo & fere inconsueto censu sermo mihi non est. Reservativus seu fundarius vel prædialis est, si prædium suum quis in alium transtulit, reservata tantum sibi modica portione fructuum aut reddituum sub censu nomine SCHOPPIVS in Tr. J. feud. modum illum ita exprimit: Wann manus mortuæ, Ebstet oder Aemster privatis Erbgüter verkauffen und einen Erb-Zins sich davon reserviren cap. 4. p. m. 53. Quamvis generaliter omnis census constitutivus dici possit, ea ex ratione, quia vel per oblationem, donationem vel alium quemlibet titulum constitutio illa acquiritur, sed melioris doctrinæ causa a DD. hæc divisio observatur; In quantum vero census reservativus & constitutivus con- & disconvenient, tradit MENOCH. 1. præf. 107. n. 7.*

§. VI.

Ad negotium hoc conficiendum requiruntur duæ personæ, quarum una vocatur *Censitor, der Erb-Zins-Herr*, qui iure aliquo censum acquisivit, sive per pactiorem expressam, vel tacitam seu præsumtivam, & quotannis solutionem percepit; altera dicitur *Censivus, der Erb-Zins-Mann*, qui se ad census alicujus solutionem annuam domino fecit obligatum & alienata re novum censum in tabulas censorias referri curare debet.

§. VII.



§. VII.

Census præsupponit fundum aut prædium aliquod, de quo sit præstandus, modo ille sit frugifer, ut sunt agri, hortii, pascua, prata, vineæ, sylvæ, ædificia, horrea & stabula &c. solutionem autem quod attinet, hæc consistit partim in pecunia numero certo designata, partim quoque in frugibus, partim in alia specie, cum v. g. vino, oleo, gallinis, anseribus, ovibus, aguis, hædis, piscibus &c. census præstandus est. Impudentia vero rusticorum hac in re ratione frumenti non execranda tantum, sed & acriter castiganda est, quibus solenne est, ut non solum pecudes aliasque fruges deterioris conditionis, sed & cumprimis vilissima quæque grana inter se commixta, Censitori obtrudere soleant, quæ inde etiam ab aliis frumenti granis melioribus discerni, peculiari nomine, *Zins-Korn*, indigitari & pro longe viliori pretio divendi debent, sicuti RENNEM. l. c. §. 36. lit. b. annotavit, quæ omnia etiam in hodiernum usque diem adhuc durant.

§. VIII.

Peracta messe, & quando grana a spicis sunt separata, plerumque solvendus est census, nisi pacta aut tempus in contrarium statutum obstat, uti in nostra civitate reperiuntur census aliqui, quorum solutioni dies in singulos annos certus est præfixus, *cujusmodi sunt festæ D. Michaelis, Simeonis Judæ, Martini, Nicolai, Catharinæ, Walpurgis &c.* memoriæ consecratæ, quibus si census non compareat, postero die moram certa pœna luere cogitur, hos census vulgo nuncupant *gebotene Zins bey Straffe der Basse*, quibus etiam annumerari possunt isti census, *die Frey-Wesung*, qui *Eminentissimo nostro Electori & Præposito hujati B. M. V.* competunt, & intra tempus a festis Martini usque ad Elisabethæ recipiuntur, certa in non solventes determinata pœna juxta Ordinatum *derer Frey-Zins*, ad differentiam illorum, quorum dilata impunis est solutio. Huc quoque referri possunt ex Jure Saxónico census illi promobiles, *Dutscher-Zins*, qui si non stato die solvantur, postero die mora certa plectitur pœna, in singulos sequentes dies duplicanda CARPZ. P. 2. C. 39. d. 25.

B

Apud

Apud Nolrates autem olim in usu fuisse peculiare genus census, quo rustici in pago, *Dachwich*, certam quantitatem frumenti, loco tributi ordinarii, certo die ante occasum solis de certis prædiis ibidem dependere coacti fuerint, quæ prædia exinde *Sonnenland* & census dependendus *Das Erb- oder Sonnen-Geld* nominatus fuerit, referente *RENNEM. l. c. Disp. 59 §. 26. lit. c.* postea tamen census iste ab usu recessit, prædiis ei obnoxii in librum censualem publicum, pro ordinario tributo quotannis ferendo, relatis, daß ein jedweder solch Sonnenland hat ins Geschöß gleich andern nehmen müssen. Rectius tamen putarem, censum illum *Sonnengeld* ab ipsis prædiis, antiquitus *Sonnenland* vocatis, denominationem suam accepisse. Ejusmodi enim bona ab antiquissimis temporibus plura fuerunt in Germania, quæ majores nostri, idololatriæ adhuc addicti, in honorem solis, quem pro numine colebant, & quod eadem libera ac perpetuo hereditaria essent, solaris vulgo *Sonnen-Güter* appellarunt, unde *E. HARTMANNVS AB ERFFA in Disp. Lips. 1716. de bonis Germania feuda solaris dictis, habitis, §. 10. not. f.* illa prædia ita describit: *est autem nobis bonum Solis æternum, proprium, hereditarium ac liberum bonum, id est, a majoribus ad descendentes omnes cum potestate liberrime dispositionis translatum, neminemque nisi solem s'ensem agnoscens superiorem.* Prædia itaque illa *Dachwicensia* quoque ejusmodi bona olim fuisse solaris, eo confidentius affirmare non dubito, quoniam ipsum vocabulum *Sonnenland* gesserunt & teste *RENNEM. d. l.* postea demum in catastrum relata. Aliud genus census est, quo fruitur Monasterium *SS. Petri & Pauli* de quibusdam bonis in pagis, *Mach*, *Bindersleben* und *Gottstedt*, ubi ante aliqua jamdum secula agros suos, qui adhuc vocantur ut plurimum *Mönchland* & libertate ab oneribus publicis gaudent, colonis pro annuo censu colendos locavit. Canon vero ille cum perceptione fructuum ita equiparatus, ut non tam pro bonis censiticis, quam laticicis illi agri sint habendi, prout etiam adhuc hodie *Las-Güter* appellantur & pro talibus venduntur.

§. IX.

§. IX.

Si censitus rem quocunque modo alienat, novum censitum censitori tradere ac insimul relaxationis grossum, den Anlaß • Schilling, solvere tenetur, novus autem laudemium pro investitura accipienda itidem inscriptionis grossum, den Anschreibe • Schilling, persolvere debet, heredes tamen censiti ad laudemium solvendum non sunt obligati, sed tantum premium inscriptionis, pro censito autem defuncto, ut ejus nomen deleatur, unum grossum, vulgo Ab • und Zuschreibe • Gebühren, hic loci præstant RENNEM. *disp. 59. tb. 34. not. b.* Atque documentum literarium brevibus verbis conceptum, vulgo der Lehn • Zeddel, Lehn • Bekännniß, dare solet censitor, in quo novum censitum pro suo posthac censito suscipere ac pro eodem agnoscere velle confitetur; Secus autem est in mutatione censitoris, ubi censitus nulla investitura apud novum censitorem indiget.

§. X.

Ab his autem quasvis domini utilis species earumque affinia jura distinguenda veniunt; nos breviter & remissive saltem potiora jurium illorum capita attingemus. Occurrit igitur (1) FEYDVM, id namque differt (a) ratione domini utilis, quod Vasallo tantum comperit 2. *feud. 8. STRUV. J. feud. c. 2. tb. 5.* e contra autem censitus plus juris habet in re censuali, quam vasallus in re feudali, hinc potest rem absque consensu censitoris immutare, modo censitor ratione sui census non lædatur, (b) ratione servitiorum (census enim loco eorum est MASCARD. *concl. 603. n. 5.*) 2. *feud. 23.* (c) ratione alienationis 2. *feud. 34. 55.* (d) ratione transmissionis ad heredes aliorumque modorum LVDW. *Syn. J. feud. c. 2.*

§. XI.

Porro differunt bona censitica (2) ab EMPHYTEUTICIS; potissimum autem (a) ratione domini utilis, hinc censitica vocantur schlechte Zins • Güter, item Erb • Zins oder Allodial • Güter, LEISERVS in *J. Georg. I. c. 9. n. 20.* Emphyteutica autem recte Erb • Zins • Güter, SCHACHER *Coll. pr. p. m. 184.* contrariam tamen sententiam fovet JCtus RENNEM. *l. c. Disp. 58. §. 9.*

lit. a. sequentibus ex rationibus, usui in nostra civitate adequatis: si enim bona censualia vocantur simpliciter *Zins-Güter*, id ambiguum nimis est & communi loquendi non congruit consuetudini, qua nomen *Zins-Gut* in genere denotat omne bonum, de quo merces, pensio, census, usurave solvitur, puta *Meth-Zins*, *Haus-Zins*, *wiederkauffliche Zins*; deinde si bona emphyteutica vocari debeant *Erb-Zins* vel *Erb-Zins-Güter*, quo nomine quæso venient censualia? cum nomen illud *Zins* (ut dictum) his in oris sit generale, omnibus censibus, quicumque sint, competens? neque etiam ambiguitatem hanc tollit vocabulum simpliciter *Slecht*, ut scilicet bona censitica vocentur *Slechte Zins*, Emphyteutica vero inspecie *Erb-Zins*: quia denominationi huic adversatur usus in Erfurtinis ditionibus, quo tam in urbe, quam in pagis, bona hæc censualia appellantur promiscue *Erb-Zins* & recte quidem. Quamvis enim emphyteutica bona jure quoque possint nominari *Erb-Zins*, quippe quæ ad heredes transeunt, longe tamen majori jure sic appellabantur censualia vel censitica, quia hæc indistincte & perpetuo ad heredes ac quoscunque successores alios transeunt, cum illa interim ac quoscunque successores alios transeunt, cum illa interim finito tempore, generatione vel alio modo præscripto finiuntur sæpius: Ne dicam, quod emphyteuticorum quoque his in oris, utpote in terra fertili, rarior adpareat usus. Alia igitur denominatio & ea quidem distinctior quarendam est; cum nimirum bona censualia proprie dicantur, sint & maneat, *Erb-Zins* oder *Erb-Zins-Güter*, utpote perpetuo duratura; Emphyteutica vero, cum non semper ad heredes transeant, neque etiam perpetuo & per omnia talia maneat, si nominarentur *Erb-Zins-Güter*, commodior fortasse & rei convenientior esset denominatio, quoniam locationi sunt valde affinia &c. (b) ratione canonis de re aliena, de hujus discrimine vid. *Dn. LYNCKER. Resp. IX. n. 104. FRANZK. de laudem. c. 10. n. 56.* (c) ob moram in solvendo, si emphyteuta intra biennium in ecclesiastica, vel triennium in seculari emphyteusi non solvat canonem, tunc privatur emphyteusi, sæcus vero in censito, qui tantummodo ad census solutionem

tionem & quandoque ad pœnam expensasque tenetur, privatio vero nunquam obtinet locum, licet intra longissimum tempus non solverit censum. Incidenter hic quaestio movenda venit, si quis asserit hanc illamve rem esse emphyteuticam, possessor vero id negat, tunc ad regionem & locorum consuetudinem est recurrendum, utrum in illis bona emphyteutica vigeant, an vero censualia? Priori casu affirmandum est & tale prædium pro emphyteutico declarandum, posteriori vero casu præsumitur censuale esse l. 34. ff. de R. J. adeo, ut actori neganti incumbat probatio rei emphyteuticæ RENNEM. disp. 59. §. 37. quod si regionis mos non appareat, quia varius fuit, ad id, quod minimum est, redigenda summa est d. l. 34. ff. de R. J. in dubiis enim semper benigniora præferenda sunt l. 54. ff. de R. J. quoniam itaque bona censitica benignioris sunt conditionis, quam emphyteutica, cum in illis possessor plenum, in his vero utile tantum habeat dominium, hinc verior est Doctorum opinio, in dubio bona reputari pro censiticis BERLICH. Part. 2. Concl. 47. n. 19. seqq. Plures differentias bonorum censualium ab aliis bonis L. B. videre atque legere potest in alleg. Gruneri Disputat. quoniam illas proferre breve huic labori præfixum spatium non permittit & præterea facilius omittuntur, cum nostri instituti non sint, & ab illis facile discerni queant, sed ad thema Dissertationis nostræ revertemur.

### §. XII.

Præmittenda vero sunt quædam de probatione & definitur, quod sit actus judicialis a partibus litigantibus susceptus, ut judici de facto controverso fiat fides. Dispescitur autem communiter a DD. in *artificialem*, quæ per præsumptiones & conjecturas expeditur, in causis civilibus & maxime in criminalibus, & in *inartificialem*, quæ fit per testes, instrumenta & jusjurandum &c. de qua inartificiali in nostra dissertatione agitur. Ulterius dividitur melioris doctrinæ causa ac in praxi quotidie occurrenti, in *plenam seu perfectam*, quando duo testes classici sive omni exceptione majores adsunt, & in *minus plenam seu imperfectam*, quæ per se non facit plenam fidem,

sed alio adhuc indiget adminiculo. Hæc iterum tres habet gradus. Alia est *semiplena major*, siquis v. g. unum testem classicum, alterum vero omni exceptione non majorem habet; alia *semiplena simpliciter*, quando e. g. unus tantummodo testis omni exceptione major adest; alia *semiplena minor*, quando v. c. unus quoque saltem testis adest isque vero non omni exceptione major. Duos priores gradus supplet juramentum necessarium, ultimus vero gradus tollitur per juramentum purgationis. Plura de probationibus adducere supervacaneum esse puto, quoniam in compendiis Juris hæc materia fustius tractatur, id circo ad propositum meum propius me accingam, & agendum sic erit de libris censualibus.

## §. XIII.

Ante omnia vero istiusmodi libri sunt distinguendi inter publicos & privatos. Publicorum hæc requisita sunt, ut (1) conscribantur publica auctoritate ab Officiali publico ad id a Superiori deputato in præsentia Notarii & duorum testium & quidem (2) vocatis bonorum possessoribus, quibus (3) post conceptionem a Notario factam contenta articulate & clare prælegantur & (4) instrumentum desuper conficiatur, librique ipsi a Notariis & testibus subscribantur & sigillis muniuntur. His requisitis adhibitis dubium non est, quin tales libri plenam mereantur fidem STRYCK *U. M. ff. Lib. 50. tit. 15. §. 1. Freisleben in Disp. de libris censualibus & judicialibus tb. 10.* sed pauci, imo apud nos, nulli ita conscripti reperiuntur. Cum autem instituti mei ratio exigat, cum primis de libris privatis censualibus differere, videndum est, qualem illi probandi vim habeant. Sunt ergo hi scripturæ privatae, in quibus nomina censuatorum vel censitorum tam hodiernorum quam priscorum, qui de fundo aliquo certo census determinatos annuatim præstiterunt atque adhuc præstare debent, inscripta inveniuntur. Longe itaque differunt ex descriptione allata a censualibus Romanorum libris, quorum librorum forma in famosissima illa *l. 4. pr. ff. de cens.* exprimitur, nam hic loci non solum magistratus præter onera realia census de quibusdam fundis, sed etiam pia loca, quid? quod privati quo-

quoque percipiunt, & intuitu hujus juris tabulis censoriis utuntur, ex quibus deinde jus census demonstrare atque probare conantur, quare de hac quaestio oritur & in foro nostro quotidie ventilatur, an libri hi privata auctoritate conscripti censuales plene probent? Non desunt quidam Jcti, qui pro affirmativa atque negativa sententia pugnant.

## §. XIV.

Nonnulli libris censualibus praecipuis ecclesiasticis & monasterialibus plenam omnino tribuunt probationem, atque sequentia fundamenta pro stabilienda sua opinione afferunt, qua de re videantur uberius NICOLAUS DE PASSERIBVS de *script. privata lib. §. qu. 2. aliique.* qui omnes argumentum primum desumunt ex *Jure Canonico c. 13. X. de probat.* ubi libris antiquis vis probandi adscribitur; Alterum desumptum est *ex c. 13. X. de praescript.* ubi Pontifex libro censuali ecclesiae Romanae itidem fidem tribuit publicam. Tertium peti solet *ex l. 10. ff. de probat.* ubi censuales libri testibus praferuntur & quae sunt alia.

## §. XV.

Argumenta autem tanti non sunt, ut eis stare debeat; Nam primo in *c. 13. X. de probat.* agitur de antiquis limitibus probandis, ubi quoque probationes imperfectae admittuntur; & sic etiam antiqui libri concurrentibus aliis adminiculis plurimum ad probationem conferunt, soli vero non probant. Quod secundum argumentum *c. 13. X. de praescript.* concernit, quaestio ibi erat de libro censuali in archivo seu camera apostolica reperto, cui Pontifex fidem habuit ob fidem scrinarii juramento obstricti, uti ipse addit, cui aliud adhuc diploma accedebat; sed monasteria aliaque ecclesiae nec tales scrinarios, nec jus archivi habent, ergo quoque eorum libri censuales eandem fidem habere nequeunt. Tertium argumentum *l. 10. ff. de probat.* quod attinet, agitur ibidem quidem de libris censualibus publicis, qui Romanorum jure secundum *l. 4. pr. ff. de cens. publica* auctoritate erant in utilitatem reipublicae constituti *vid. GOTHOFRED. ad l. 10. ff. de probat.* ut tempore belli quilibet possessor illorum praediorum servitia sua

sua atque onera præstare posset, sed cum his minime libri nostri censuales sunt conferendi, quia privata tantum auctoritate sunt confecti, quare in præjudicium tertii haud plene probant, sed saltem aliqualem præsumtionem pro se habent, ideirco NICOL. DE PASSERIBVS *cit. l. qu. 2. n. 14.* negantium sententiam ita limitat putatque, libros ecclesiæ antiquos vim probandi propter antiquitatem habere *per c. 13. X. de probat.* sed quamvis admiserim illam limitationem, in antiquis rebus vim quandam probandi atque præsumtionem iis tribuendam esse, quorsum tendit illud *c. 13.* quia in illis causis imperfectæ probationes admittuntur, plenam tamen haud habent, adeoque ad minimum iuramentum suppletorium accedere debet, ab eo præstandum, cui horum librorum cura & redituum exactio concredita est, quamvis, cum de antiquis agatur, iuramentum suppletorium credulitatis sufficiat, prout statuit BOEHMER. *in Jur. Eccles. Protest. lib. 2. tit. 22. §. 3.*

## §. XVI.

Fautores hujus affirmatiuæ sententiæ ipsi etiam limitant; si nempe agatur in possessorio iudicio, ubi hi libri censuales plene contra solventem probant, ea ratione adducti, quod causâ possessoria sit modici præjudicii, ideoque in ea sufficiant probationes imperfectæ MARTINI *Tr. de Jure Cens. cap. 7. n. 13.* ex pensionis enim vel canonis perceptione possessio probatur *cap. cum venisset X. de restitut. spoliat. CLVD. rerum quotid. cap. 6. n. 141.* imo per solutionem census dominium probatur MASCARD. *de probat. Vol. 1. Concl. 545. n. 1.* atque libris istis contra ipsos solventes standum est ALV. VALASC. *The-saur. Jur. Emphyteut. Qu. 9. n. 29.* nullo autem modo in possessorio ordinario, hoc enim magni est præjudicii, ideoque in eo plenæ requiruntur probationes, prout statuit *alleg. MART. cit. l.*

## §. XVII.

Sed queritur: an censitor possessionem suam percipiendum censum ex libris censualibus etiam contra tertium, qui nondum dominum censitorem recognovit neque canonem solvit, probare possit? & eam quæstionem eatenus affirmandam cenſeo,



cenſeo, quatenus cenſitor in annis proximis præterlapſis penſionem adhuc percepit, neque alius dominus cenſiticus interea temporis fundum, de quo ille canonem exigit, ſibi cenſuarium læcerit, & in poſſeſſione recentiori cenſum percipiendi verſetur. Hoc enim ſi contingat, poſterior in momentaneo iudicio poſſeſſorio eſſet tuendus, uſque dum prior in iudicio ordinario poſſeſſionem antiquiorem demonſtraverit. Cum in ſummariffimo factum tantum poſſeſſionis momentanea, non autem ejus qualitas & an illa juſta vel injuſta ſit, reſpiciatur l. 2. ff. *uti poſſidetis* STRYCK. U. M. ff. *lib. 43. tit. 17. §. 2.* quod ſi vero hoc non eſſet, tunc cenſitorem poſſeſſionem ſuam etiam contra novum & tertium fundi poſſeſſorem, qui nondum ſolvit, demonſtrare poſſe autumo. Ex perceptione enim penſionis, uti præcedenti §. dictum, probatur poſſeſſio. Poſſeſſio vero, ut Doctores communiter defendunt, eſt ſpecies juris in re, adeoque non tam fundi poſſeſſorem, quam ipſam rem cenſualem afficit. Quamvis itaque perſona cenſiti mutetur, non tamen præterea jus cenſitoris in re acquiſitum mutari poteſt. Res enim tranſit cum ſuo onere, neque ſucceſſor melioris poteſt eſſe conditionis, quam autor ejus, a quo jus in eum tranſiit l. 175. §. 1. ff. *de R. J.* unde quoque vulgata J. C. torum regula eſt; *quod nemo ſibi ipſe cauſam poſſeſſionis immutare poſſit.* Quemadmodum autem non ſtatim amittimus poſſeſſionem, cum alter nobis abſentibus ac ignorantibus occupavit fundum STRVV. *Synt. Jur. Civ. Exercit. 42. th. 31.* ita multo minus cenſitor ex ea ratione, quod tertius aliquis fundum illius cenſiticum poſſidere incipit, poſſeſſionem ſuam, cenſum ex fundo percipiendi, amittit. Aliàs illud quoque abſurdum eveniret, ut ſingulis momentis, ubi fundus novum poſſeſſorem obinet, poſſeſſio cenſitoris ratione cenſus ſui citra omnem ſuam culpam & animum exſpiraret, idemque in iudicio petitorio jus ſuum deducere opus haberet. Sufficit itaque, ſi poſſeſſorium iudicium inſtituens probaverit cenſitor, quod percepit cenſum ad minus per duos annos a poſſeſſoribus rei cenſiticæ, & quod reus poſſideat rem, cujus occasione præſtatur cenſus & præſumitur poſſeſſio, niſi probetur contrarium. BOCCAT.

a CINGVLO *de Interdict.* *Uti possidetis cap. 8. n. 8.* Et hinc DD. statuunt, solutionem pensionum adeo probare possessionem illius, cui solvitur, ut non solum id verum sit contra solventem (qui casus est sine dubio) sed etiam contra tertium & quoad omnes ALVÁR. VALASC. *de Jur. Emphyteut. Q. 9. n. 13.* ANDR. CLVDIVS *rerum quotidian. cap. 6. n. 143.* NICOL. DE PASSERIB. *de Script. privata lib. 5. qu. 2. n. 31.* Aliud autem est in iudicio petitorio. Tunc enim ex libro, ubi solutiones pensionum annotatae sunt, non plene probabitur census *alleg. VALASC. qu. cit. n. 29.* MASCARD. *cit. l. concl. 544. n. 7.* nisi probetur de possessione triginta vel quadraginta annorum, praeterea ex census solutione non probatio plena, sed tantummodo praesumptiva oritur, ex huiusmodi enim solutione probatur tantum possessio & ex possessione arguitur dominium *alleg. MASCARD. concl. 545. n. 2. 3. & 4.*

§. XVIII.

Ex observantia itaque nostra Erfordiensis in iudiciis petitorii illa quoque sententia obtinet, ut libri censuales habeant quidem vim probandi, quippe quae ipsis eo minus denegari potest, quo magis constat, vix alia de census constitutione apud nos scripturae indicia, quam in registris censitorum (*in den Zins-Registern*) conspicua monstrari posse RENNEM. *d. l. Disp. 58. tb. 20. not. a.* Soli autem contra censitos non plene probent. Cujus sententiae haec potissimum sunt rationes, quoniam (1) isti libri plerumque sunt ad instar domesticae testationis, cum ex iis nec de tempore, nec de personis praesentibus, nec a quo scripti sint, intelligatur, hinc deficientibus aliis adminiculis nil probare possunt *l. 5. C. de probat.* (2) Domini hac ratione in propria causa testes fierent *l. 10. C. de testib.* (3) quivis dominus pro lubitu in suum commodum aliquid hisce inferere, eos augere, novaque inducere possit *CARPZ. lib. 1. tit. 7. Resp. 61. n. 12.* (4) perniciosum est, uti ait Imperator *in l. 7. C. de probat.* ut ei scripturae credatur, in qua quis alium propria annotatione debitorem constituit *junct. l. 6. C. eod.* (5) omnes Autores & JCTi eo inclinant, quod libri soli absque adminiculis plene haud probent, de quibus

quibus *vid.* CARPZ. *all. l. Resp. 62. n. 3. seqq.* adminicula vero istiusmodi plura refert LEISSER. *in Jure Georg. lib. 3. cap. 27. n. 85.* quando nimirum 1) agatur de re non adeo magni momenti, 2) si libri censuales sint antiqui, 3) si archivo publico custoditi atque reperti, 4) si plures sint libri uniformes & ordinata serie conscripti, 5) si rustici ipsimet pro se eos allegent, 6) si libris contra se adductis non contradixerint subditi, 7) si libri censuales non ab uno, sed a multis in eodem officio furrogatis, & bonæ famæ viris fuerint conscripti, 8) si quædam saltem in his libris contenta probata sint, aut vera & justificata reperiantur, 9) si in libris censualibus longa & quidem tanti temporis præstatio fuerit descripta, quæ ad præscriptionem sufficit. Monet tamen Leisserus, hæc adminicula non omnia simul & conjunctim requiri, sed sufficere, si unum & alterum interveniat. Quod uti veritati consonum, ita & praxi nostra Erfordienti unum alterumque adminiculum adhuc addere placet. Pertinent itaque huc catastra seu libri æstimi, vulgo *Berrechten*, ex his enim non solum successores fundorum demonstrantur, sed quia in iisdem ad plurimum annotatus quoque est censitor, *was das Stück vor einen Erb Herrn habe*, hinc jus census quoque ex catastro cum libro censuali conjuncto probatur. Maxime autem ad catastro de Anno 1620. quod juramento a subditis est confirmatum, respicitur, deinde accedunt etiam libri antiqui, *Die Fluhr-Läufer oder Lager-Bücher*, dicti, qui ipsi etiam catastra, in demonstratione successorum, adjuvant. Sed quia in recentioribus cumprimis catastris censiti subinde aut censitores plane non nominarunt, aut tales annotandos curarunt, quibus census non debetur, hinc ex solo æstimo jus censiticum probari nequit, sed libros censuales oportet cum catastris conferre, quæ si concordant, censitor omnino plenam probationem efficit. Tunc enim libri censuum ex æstimo, pro quo tanquam scriptura publica semper præsumitur, & in quo censitorum propria reperitur confessio, CARDINAL TVSCH. *lit. C. concl. 128. n. 3.* MENOCH. *de Arbitrar. Jud. Quæst. lib. 2. Cent. 1. cas. 91. n. 27.* MEV. *Part. 4. dec. 27. n. 6.* NICOL. DE PASSER. *lib. 5. qu. 20. n. 4.*

corroborantur atque convalidantur. Si tamen recentiora catastra vel census plane non meminerint, vel alium censu-rem, quam qui in æstimo de Anno 1620. reperitur, nomina-verint, tunc huic tanquam antiquiori & juramento confir-mato, si quidem libri censuales in omnibus conveniant, ma-jor fides quam illis habetur. Si vero adhuc aliquod dubium de possessore alicujus fundi occurrit, tunc in pagis sculteti, junctis consortibus, vel noticiam suam aperire, sie müssen eine Aussage thun, vel etiam mediantibus articulis probatorialibus atque interrogatoriis jurato de fundi possessore deponere de-bent. Inter adminicula porro quoque referri merentur sche-dula investituræ, die Lehn Scheine, quæ si extant, census eadem tanquam instrumenta communia edere tenentur. Ex his enim jus censitoris perspicue deduci potest, cum illa reco-gnitio & agnitio domini censitoris, si non aliunde rem ab onere census liberam esse appareat, recognoscanti omnibus-que ejus heredibus & successoribus omnibusque his, qui ab illo titulum & causam habent, præjudicet. FRANTZK. lib. 1. resolut. 3. n. 5. LEISSER l. c. cap. 18. n. 63. 64. Sed & apochæ, die Quittungen, quas censiti, pensiones solventes, accipere so-lent, probationem, quod res sit censuaria, valde adminicu-lantur. Ut taceam in literis atque instrumentis, quæ super contractibus, a possessoribus fundorum initis, conscribuntur, vulgo in Kauff oder Tausch Briefen, wiederkauffliche Beschrei-bungen, ut & in schedulis super divisione hereditatis factis, vulgo den Loosß Zedduln, ut plurimum census memorari, & quibus illi debeantur, significari. Quorum copiam si censitor habere possit, multum sane adjumenti libris censualibus conferant necesse est. Plura adhuc sunt adminicula, quæ ta-men pro diversitate causarum occurrentium admodum vari-ant, neque ob specialem suam rationem ad alios casus appli-cari facile possunt.

§. XIX.

Producendi insuper sunt plures libri censuales uniformes & qui cum publicis documentis recensitis coincidunt, si vero dispares sunt, plene probare nequeunt; scripturæ enim diver-  
sa

fe fidem sibi invicem derogantes, ab una eademque parte pro-  
 latae, nihil firmitatis habere poterunt *l. 14. C. de fide instrum.*  
 nam producens tales scripturas eo ipso asserit, illas actualiter  
 esse veras, ex quo deinceps nascitur inextricabilis contrarie-  
 tas, propter quam utraque scriptura fidem amittit: contra-  
 riis enim scripturis semper inest mendacium EVERHARD. *de*  
*fide instrument. cap. 5. n. 73. seqq.* illa tamen uniformitas non  
 consistit in eo, quando e. g. quis produceret librum de An-  
 no 1620. in quo censitus aliquis cum fundo censitico reperi-  
 retur inscriptus, idemque in sequentium annorum libris, ni-  
 hil amplius addito repeteretur, eo namque casu postero-  
 rum librorum notamina tantum referrent se ad primum li-  
 brum, adeoque re ipsa pro unius tantum libri scriptura illud  
 esset habendum. Aliter se res habet, si in singulis libris pos-  
 sessores fundi, qui successu temporis illum tenuerunt, accurate  
 sunt notati, & qua ratione censum solverint, fuerit adscri-  
 ptum. Hi enim uniformes & ordinata serie conscripti vo-  
 cari merentur, & hinc fidem probandi nanciscuntur. Dein-  
 de etiam si absque solutione producuntur ejusmodi libri, non  
 probant, MASCARD. *Vol. 1. de probat. concl. 273. n. 6.* si enim li-  
 bri censuales tantum descriptionem agrorum, non vero so-  
 lutionem testantur, nihil probant, praesertim contra eum,  
 qui in possessione immunitatis est MEV. *P. 4. Dec. 179. n. 11.*  
 videndum tamen, an omnes libri de singulis annis nullam  
 solutionem adscriptam habeant, an vero aliqui tantum:  
 Posteriori casu fidei ipsorum nihil deccedit, cum, quod in  
 nonnullis desideratur, ubi censu saepius ob paupertatem aut  
 belli tempora sua praestare non potuerunt, ex aliis suppleatur.  
 Porro etiam cancellatio fidem derogat instrumentis STRVV.  
*Syntag. Jur. Civ. Exercit. 28. §. 33.* Et interlineatio quoque  
 scripturam reddit falsam, ita ut fides ipsi amplius nulla sit  
 MÜLLER. *ad Struv. d. l.* Sed de hisce vitiis instrumentorum  
 plura penes Autores citatos legi possunt; fides vero vacillans  
 illorum librorum per juramenti impositionem necessariam, si  
 nempe censitor praesumptiones praegnantis pro se habet, alias  
 non, a Judice hujus loci sanatur.

§. XX.

Plura adicere potuissem, nempe de census præscriptione, sed L. B. ad Autt. alleg. remitto, ibi ampliorem tractationem inveniet, meum enim propositum erat, secundum nostram in foro ventilatam materiam aliquid de his verba facere, sed a proposito meo plane deterritus sum, quapropter si non omnia satis apte posita deprehendes, virium ignoscas imbecillitati, si vero materiam non satis digne examinatam invenies, id non ignaviæ mentique languidiori, sed brevitati temporis, quoniam jussu Superiorum editio speciminis mei in auguralis properanda erat, tribuas; sed promitto tibi alia occasione uberiorem explanationem thematis mei offerre. Interim vale Lector Benevole, meisque qualibuscunque fave conatibus.

T A N T V M.

COROLLARIA.

I.

**U**suræ jure divino & humano sunt licitæ, modo non sunt mordaces. II. Liberi exposititii & inventi pro justis & legitimis liberis, ita ut ad honores & collegia opificum possint admitti, sunt habendi. III. Filius non tenetur conferre sumus studiorum, licet pater eos in librum rationum redegerit aut specialiter consignaverit. IV. Legitimati per subsequens matrimonium in feudis succedunt. V. Uxor ratione dotis creditoribus hypothecariis, qui expressam anteriorem allegant hypothecam, omnino præferenda est. VI. Fundus ex pecunia dotali comparatus non est dotalis.

Sedula

**S**edula sicut agri nunquam cultura colonum  
Deserit, ast larga messe rependit opus:  
Sic non frustratur Pallas sua castra sequentes,  
Cultores Phœbi Phœbus honore beat.  
Hoc ZIEGLERE Tuo celebri paradigmate monstras,  
Rite cui confert alma Gerana gradum.  
I nunc & merito collatos aufer honores!  
Accipias studiis præmia digna Tuis.

*Ita Nobilissimo & Clarissimo Dn. HEINRICO  
BENJAMIN ZIEGLER, de summis  
utriusque juris honoribus gratulatur,  
Opponens*

**RVDOLPH CHRISTOPH Henne/**  
Philos. Mag. & J. V. C.

**D**u zeigest, werther Freund / daß in den Erb-  
Zins Sachen  
Ein eignes Erb-Zins-Buch nur halb bey uns  
beweist.

Die Schrift hingegen kan uns vollen Glauben machen,  
Daß Du des Doctor-Huts nunmehr würdig seyest.  
Ich wünsche Dir darzu Glück, Segen, und für allen,  
Daß Dir das Heyraths-Loos mag bald aufs beste fallen.

*Zu Bezeugung seiner aufrichtigen Freundschaft  
und Ergebenheit setze dieses glückwün-  
schend hinzu*

**Heinrich Ernst Seebach/**  
J. V. C.

Uc

**U**T jam purpureis collucent floribus agri;  
Sic Tua sedulitas Veris honore rubet.  
Ut flores fructus & messis læta sequuntur;  
Sic Tua sedulitas commoda multa ferat.  
Inclita dum cari Patris vestigia calcas,  
Comprecor, ut gressus dirigat alma Trias.

*Hæc paucula in honorem Clariss. Du. Do.  
Florandi gratulabundus adicere voluit*

**Carl Günther Müller,**  
J. V. C. & Opp.

---

**L**æta dies tandem venit, quo gaudia, Frater,  
Testari possum, postquam me tristia multum  
Vexarunt, quæ concepi de morte Parentis.  
Est fraternus amor, nunc ut Tibi grater & ipse,  
Accipe, quos confert Tibi Justinianus honores!  
Sic in Te semper Patris florebit imago.

*Ita optat carissimo suo Fratri*

**JOH. WILH. ZIEGLER,**  
J. V. C.






ULB Halle  
005 355 664

3







12

1733, 179a

18

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,  
DE  
**CENSVS PER LIBROS**  
**CENSALES PROBATIONE,**

QVAM  
IN PER-ANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI  
RECTORE MAGNIFICO,  
PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

R. 319

**DN. TOBIA JAC. REINHARTH,**  
ICTO, SACRI PALATII CÆSAR. COMITE, IVRID. FACVLT. ASSESSORE,  
ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. STNDICO  
ET CONSVLE,

EX DECRETO ET AVCTORITATE ILLVSTRIS  
ICTORVM ORDINIS,  
SVB PRÆSIDIO  
FACVLTATIS IVRIDICÆ DECANI

**DN. CONRADI WILH. Strechers/ ICTI,**  
PRÆFATÆ FACVLTATIS ET IVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS AS-  
SESSORIS, PROFESSORIS PVBLICI, NEC NON CIVIT. STNDICI  
ET CAVS. TVTELAR. CONSVLENTIS,

**PRO LICENTIA**  
SVMOS IN VTROQVE IURE HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA LEGITIME CONSEQVENDI,  
DIE VIII. JVNII M DCC XXXIII.  
IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI  
HORIS CONSVETIS,  
PVBLICÆ DISQVISIITIONI SVBMITTET  
AVTOR

**HEINR. BENJAMIN ZIEGLER, Erford.**  
REGIMINIS ELECTORAL. ADVOCATVS.

ERFORDIÆ, LITERIS HERINGIANIS, Acad. Typog.

